OBSERVATIONES CRITICAE IN

C. CORNELII TACITI GERMANIAM,

QUIBUS EDITIS

ACTUS SOLEMNES

IN

GYMNASIO REGIO AUGUSTANO

CONFESSIONI AUGUSTANAE ADDICTO

D. XXX. AUG. MDCCCXXX.

RITE HABENDOS,

COLLEGII PROFESSORUM NOMINE

INDICIT

CHRISTIAN. FRID. GEORG. CHRISTOPH. SELLING,

PHILOS. DOCTOR ET GYMNASII PROFESSOR.

ACCESSIT NOVA CODICIS HUMMELIANI COLLATIO.

1830

AUGUSTAE VINDELICORUM.

TYPIS WIRTHIANIS.



Observationes criticae

in

Taciti Germaniam.

Cap. II. *Ceterum Germaniae vocabulum recens et nuper additum; quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, nunc Tungri, tunc Germani vocati sint. Ita nationis nomen, non gentis evaluisse paulatim, ut omnes primum a victore ob metum, mox a se ipsis invento nomine Germani vocarentur.*

Non est mihi in animo, omnes multas et varias huius loci vexatissimi explicationes et emendationes tentatas enumerare atque examinare, quum angustum, quod mihi concessum est, spatium, quo nonnulla certiora laetioraque proponere cupio, hac una eademque ingrata refercirem materia. Quum vero omnibus, qui de Taciti Germania scribunt, usitatum sit sedulo succurrere huic loco aut lucem afferendo aut adhibendo medelam, neque mihi hoc officium recusandum existimavi, et tribus tantum, quas nostris tempestatibus latissime vulgatas video, sententiis, si non omnino refutatis, certe repudiatis, eam afferam, in qua una acquiescere posse mihi videor, rationemque, qua scriptoris verba huic sententiae sint accommodanda, summa qua decet modestia proponam.

Una est, quam inter alios Anton, Woltmann, Walch, Strombeck, Passow, Dilthey, Klein, Günther, Ricklefs amplexi sunt. Anton (1781) ita transtulit: — übrigens sey der Name Germanien neu, und erst jüngst beigelegt, weil die ersten, welche über den Rhein gingen, und die Gallen vertrieben, damals Germanen — nun Tungern, genannt wurden; nach und nach sey der Name eines Stammes, nicht der ganzen Nation so aufgekommen, daß alle erst nach dem Sieger aus Furcht, dann nach der selbst erkiesten Benennung Germanen genannt worden. — Woltmann (1811) — also habe eines Volksstammes, nicht der Nation Namen allmählig gegolten, daß alle, zuerst nach dem Sieger aus Furcht, bald von sich selbst mit dem erfundenen Namen geheißen worden. — Walch (1815) in Emendd. Liv. p. 79. „Ne literam quidem velim mutari; ita sana sunt omnia et digna Tacito. At neque, quid sit *nomen nationis evaluit*, *non gentis*, neque quid sit *a victore appellari* cogitarunt, qui nuper locum corruperunt — scribendo *nationis nomen in nomen gentis* et probando *a victis*. Commode explicabis: Ita unius populi nomen, non autem gentis universae nomen paullatim hominum usu vim obtinuisse; ita ut Germaniae incolae primum secundum victores Tungros ab iis, qui sibi metuebant ab illis, mox a semetipsis invento nomine Germani appellarentur." (Quod ad verba *a victore ob metum* attinet, jam Boxhorn (ed. Gronov.) ea his verbis explicuit: „Alii exteri nimirum, ut Galli, a victore populo, tunc Germanorum postea Tungrorum nomine insigni, omnibus Transrhenanis Germanorum vocabulum indidere.")

Huic explicationi obstare mihi videtur: primum diversa significatio praepositionis *a* in duobus oppositis inter se enuntiationibus non est ferenda, id quod jam plures, inter quos ipsi Dilthey et Guenther, animadverterunt. (cf. Tac. Agr. 28. *primum a Suevis, mox a Frisiis intercepti sunt.*) Luden in libro suo inscripto Geschichte des teutschen Volkes T. I, p. 596. — „wer dem teutschen Volk, inquit, einen teutschen Namen zu retten wünschte, der suchte mit der Präposition a zu helfen und gab derselben eine andere Bedeutung vor victore, und eine andere vor se ipsis; eine Erklärung, die in so nahe stehenden Sätzen alles Gefühl beleidigt und schwerlich gerechtfertigt werden kann." Ferd. Bischoff, quem ab editoribus tam neglectum esse valde miror, in edit. sua huius libelli, Isen. 1816, dicit: „ich habe diese Lesart (*a victis ob metum*) um deswillen gewählt, weil es wahrer Unsinn ist, *a victore ob metum* zu lesen."

Deinde si scriptura *ita nationis nomen*, *non gentis* a Tacito est profecta, his verbis dixit, jam ante nomen Germanorum additum nomen quoddam gentis universae exstitisse. (*Natio* enim, nemine quod sciam repugnante, certe nostro loco, denotat einen einzelnen Volksstamm, *gens* das ganze Volk, ut Vell. Paterc II, 98, 1. *omnibus eius gentis nationibus in arma accensis.*) At quodnam fuit illud nomen? cur Tac., qui hic ut de re certa de eo loquatur, nusquam eius mentionem fecit in hoc libello de Germanis separatim scripto? cur apud neminem veterum scriptorum de hoc nomine quidquam legimus? Luden in eo, quod l. l. I. p. 23 de communi nomine *Teutonum* dicit, haud facile, opinor, nobis persuadebit.

Altera huius loci expediendi ratio, quam rectam judicant Bredow, Sprengel, Bischoff, Weikert, Gutmann, alii, lectionem profert *nationis in nomen gentis* — *primum a victis ob met.*, quam Bredow his verbis explanat: „nomen Germanorum, quo Romani majores nostros nominavere, ab eadem origine ductum esse videtur, unde vox Gallica: guerre: ita ut Galli pulsi victique illos Rhenum transgressos non nomine apud ipsos jam usitato, sed nomine invento, ob metum Viros belli vocaverint. Quod nomen ceteris nationibus gentis teutonicae, boni ominis causa, placuit, ut se ipsos Germanos vocarent, qua ratione nationis (sc. nomen e sequenti.) in nomen gentis evaluit.“

Contra haec monendum est:

primum lectio *ita nationis in nomen gentis*, quam I. H. Voss conjecit et Bredow, Bischoff, Altenburg in contextum verborum receperunt, vix latina est; neque Acidalii conjectura *nationis nomen in nomen gentis*, quam Bip., Oberl. receperunt, Im. Bekker retinuit, probari potest, jam ideo quod longius a scriptura Codd. recedit.

Deinde conjecturam Mureti *a victis* pro *a victore* a Dithmaro, Adelungio probatam, a Bredovio, Bischoffio, Spreng., Weik., Gutm. receptam, nimis audacem esse, facile quisque concedet.

Tum si Tacitus de prima nominis Germanorum, ut nominis nationis, origine loqui voluisset, de etymologia sive significatione huius vocis dicendum ei fuisset, quum, quod in vocabulis graecis licuit, non posset cogitare, eam notam iam esse popularibus suis.

Postremo, si ea fuisset Tac. sententia, non hic demum, sed iam supra dicendum fuisset *tunc a victis ob metum Germani vocati sint.*

Tertiam, quae reiicienda videtur, interpretationem, quam profitentur Hauff, Brotier, la Bleteric, la Malle, Valeriani, Hess, Luden, Buelau, alii, primum Conringium protulisse reperio, qui „Tungri hi, inquit, Gallorum victores ad omnes Transrhenanos nomen hoc suum transtulerunt, quo metum incuterent."

Primum dubitationem, in quam haec significatio praepositionis *ob* (nisi participio fut. pass. adiuncto) a multis vocata est, a nemine sublatam video, neque ipse tollere possum.

Deinde contra animi leges expressa esset haec sententia. Etenim verba *a victore*, si ad Tungros ea referimus, qui ipsi Germani erant, opposita esse non possunt sequentibus *a se ipsis*, i. e. ab omnibus Germanorum nationibus; dicendum fuit *a se omnibus*; verbis *a se ipsis* opponi potest *ab aliis*, ergo *a victore*, vel rectius ea verba, quae in *a victore* corrupta sunt, ad alios quos referenda sunt, qui non Germani erant. Broterii sententia etiam minus ferenda. „Transrhenani, inquit, omnes nomen, quod victor ob metum incutiendum repererat, ipsi usurpavere, reputantes, idem nominis ob bellicae gloriae claritudinem sibi debere." Scilicet Tungri hoc nomen sibi ipsi dederunt, ut Gallis metum incuterent, quasi quis, alia re nondum metuendus, nomine quamvis horrendum sonante metum hominibus iniiciat. Postea ut multis aliis et mihi, si ea esset Taciti sententia, vehementissime frigeret.

Jam venio ad meam qualemcunque sententiam.

Scripturam ab Hartmanno coniectam *nationis nomen in gentis*, quam Hess in edit. sua laudat, unam veram iudico; videtur offendisse librarios, ut etiam latini sermonis periti, quibus eam proposui, latinam agnoscere noluerunt. Sed vid. Tac. Agr. 39. *privati hominis nomen supra principis.* Plin. Ep. I, 21, 1. *illam ad usum deae has ad hominum.* Caes. B. G. I, 21 *in exercitu L. Sullae et postea in M. Crassi fuerat.* Cic. Lael. 16. *quae in nostris rebus non satis honeste, in amicorum fiunt honestissime.* Leguntur adeo exempla, ubi nomen alio casu, quam quo praecedit, supplendum est. Caes. B. G. I, 32 *hoc esse miseriorem gravioremque fortunam Sequanorum prae reliquorum.* Vell. Paterc. I, 18. *transit admirario ab conditione temporum et ad urbium.*

Deinde coniicio Tac. scripsisse *a victorum metu*, i. e. *a victis ob metum*, *a victis metuentibus*. Hac orationis partium enallage saepe usi sunt Romani. Germ. 8. *constantia precum et obiectu pectorum* pro *constantibus precibus et obiectis pectoribus*. Agr. 25. *ne superante numero et peritia locorum circumiretur* i. e. *ab hostibus locorum peritis*. Hist. IV, 4. *multo cum honore verborum*, i. e. *verbis honorificis*. ib. 10. *ea cognatione renovari odia accusationum videbantur*, i. e. *odiosae accusationes*. Liv. IV, 10. *vetere Tusculanorum odio inermes oppressi poenas dedere*, i. e. *a Tusculanis propter vetus eorum odium*. Cf. Aug. Grotefend. Gr. lat. §. 393. Genitivum pluralem participiorum perf. pass., quamquam par est Genitivo nominum verbalium in syllabam *tor* desinentium, non vitarunt Romani. Tac. Hist. IV, 64 *bona interfectorum*. Vell. Paterc, I, 9. 10. II, 60. *actorum*. Cic. Orat. 2. *neque certum praeceptorum genus*. Quinct. Inst. or. X, 1, 83. 3, 6. 7, 7. Cic. Ep. ad div. V, 12, 2. Plin. Ep. VI, 16, 2. *scriptorum*.

Librarii hanc constructionem ignorantes pro sua consuetudine mutarunt, corruperunt. — Fortasse scriptum erat *victorom*. De confus. litterarum *u* et *o* cf. Ang. Maium ad Cic. de Republ. I, 3. II, 42. Quinct. Inst. or. I, 4, 16. 6, 22. Sed veri similius est, hanc corruptelam per audiendi errorem scribentis ortam esse, cui (fortasse pluribus simul) dictatum est. Cf. Maium ad Cic. de Republ. I, 1. (ed. Stuttg. p. 3.) De littera *m* nomini *metu* apposita, praesertim quum *mox* subsequatur, loqui supersedere possum.

Quibus mutatis, haec evadit sententia. Qui primi Rhenum trangressi Gallos vicerant et nunc Tungri vocantur, tunc, quum transgrederentur, Germanorum nomen gerebant. Quum deinde aliae nationes Germaniae in Galliam venirent, et hae a Gallis victis Germani vocabantur, propter metum, quem iis iniecerant Germani, qui primi eos vicerant, quemque ab omnibus habebant, qui trans Rhenum adveniebant, et quos omnes pro Germanis habebant. Quae nationes usque adhuc sine nomine communi, quum Germanos se omnes vocari audirent, quum hoc nomen commune invenirent (vorfanden), et ipsae eo utebantur. Quod nomen deinde etiam in terram translatum est, quae Germania vocabatur. Natio, cui soli antea illud nomen erat, ut ab aliis nationibus distinqueretur, alio nomine erat appellanda, Tungri vocabantur; cur Tungri? nihil ad nos attinet, certe ad me. Origo igitur nominis universi Germanorum, quam Tac. refert, eadem fere est, quae omnibus universarum

gentium nominibus videtur fuisse, ut nationis nomen paulatim in gentis evaluerit; ut nomina Ἕλληνες, Graeci, Allemands.

De significatione huius nominis non magis cogitavit Tac., quam de reliquorum in hoc libello nominum, neque nostrum est, in eam inquirere, nisi forte aliquis etiam in etymologiam nominum Bructerorum, Tencterorum, Nahanarvalorum inquirere conatur. Illud certe ex his Taciti verbis, si diligenter et sine opinione praesumta ea mecum perpendisti, dilucide atque evidenter patet, hoc nomen neque gallicae neque latinae esse originis, sed germanicae.

Attente legas, quaeso, quae praeclare disserit de hac re U. I. H. Becker in libro inscripto Anmerkungen und Excurse zu Tacitus Germania Cap. I. bis XVIII. Hannover 1830, in quo, his diebus mihi allato, summa cum voluptate vidi, hunc virum doctissimum, quod ad rem attinet, in eadem mecum esse sententia; de scriptura autem huius loci altum tenet silentium, videtur legere *in nomen gentis — a victis*; neque aliorum sententias refellere curavit; ut sunt hominum ingenia, ne dimidium quidem facti habes, quum verum proposuisti, nisi simul falsum redargueris.

Cap. IV. *Unde habitus quoque corporum, quamquam in tanto hominum numero, idem omnibus; truces et caerulei oculi, rutilae comae, magna corpora et tantum ad impetum valida.*

Multi editores, ut Passow, Dilthey, Hess, Günther, Teubert, alii, post *idem* interpungunt et *omnibus* ad sequentia trahunt. Quod si fecisset Tac., idem quodammodo bis dixisset, quod ei moris non est; verbis *truces et caer. oc.* etc. nihil aliud quam enumerat eas corporis proprietates, quae eaedem omnibus erant. (Ut C. 15 *electi equi*, *magna arma*, *phalerae torquesque*. 20. *fratres*, *patrui*, *avunculi*. 43. *rotunda scuta*, *breves gladii et erga reges obsequium*, ubi Tac. singula enumerat.) Cf. 24. *Genus spectaculorum unum atque in omni coetu idem*. Quod Steuber V. D. obloquitur, *omnibus* ante *idem* ponendum fuisse, mihi quidem haud magni momenti videtur esse; vox *idem* eandem, quam vox *omni-*

bus in hac enuntiatione vim videtur habere, neque redundat voc. *omnibus*, sed auget; deinde *idem* non solum de numero, sed etiam de tempore dicitur. Optimo igitur jure, ut etiam in Cod. Humm. est, inter alios Ern., Oberl., Bip., Bekker, Walch *omnibus* cum *idem* coniunxerunt. Quamquam facile patior, si quis dicat, hanc rem eiusmodi esse, ut dubitemus, utrum sensum an intellectum appellemus id, quod eam diiudicet.

Cap. V. — *ne armentis quidem suus honor aut gloria frontis.*

Praeter Pichenam, censorem in Eph. lit. Hal. 1822 M. Febr. p. 293, quem Hess ad h. l. laudat et Buelavium, qui recte et *honor* ad *frontis* retulerunt, omnes, qui mihi innotuerunt, interpretes hunc locum male intellexerunt; ut Jacobs in libro inscripto Clio der Roemer: „suus honor, pulchritudo, quae e nitore et pinguedine provenit." Ricklefs: „honor ist hier Fülle und Glätte durch gute Nahrung." Walch transtulit: „nicht den Rindern blieb angestammte Schönheit, und der Stirne Zier." Omnia, quae afferunt exempla (vid. Hess. ad h. l.) contra eos testimonium dicunt, quum in omnibus id, quod honori est, secundo casu appositum sit, et nostro loco Tac. dixisset *honor nitoris et pinguedinis*. In Longolii dictatis manu Brückneri Curiensis anno 1776 et 77 scriptis lego: „frontis bezieht sich auf beide Wörter." quod recte statuit, sed paulo infra pergit: „honor bedeutet die Fettigkeit, dem Vieh dienet eine ansehnliche Stirne zum Vorzug, zur Zierde — — gloria frontis das sind bei dem Vieh die Hörner." Falso cogitavit, aliud *honorem frontis* aliud *gloriam frontis* denotare. Rectius Pichena: „innuit Germaniae boves parva habuisse cornua, quae honorem frontis appellat." Buelau optime: ja nicht einmal die Rinder tragen ihren ehrenden Stirnschmuck. Censor supra laudatus in eo tantum errat, quod putat *honor aut gloria* figuram ἓν διὰ δυοῖν esse, in qua haud crediderim ambo vocabula particula *aut* coniuncta usquam reperiri; utrumque quidem nomen idem significat, cornua, sed synonyma sunt. Infra C. 7. *nec regibus infinita aut libera potestas*. Vid. F. Handii Tursellinum T. I. p. 540: „Quare aut simplex componit saepe etiam ea, quae aequalia et unius generis sunt, et ea, quae synonyma esse videantur." Adde quod *honor frontis* vulgaris videtur fuisse locutio, de humana quidem fronte, sed. Tac. apposito *aut glo-*

ria in armenta lepide transtulit. Plin. H. N. VII. 10. *ipsum honorem eximiae frontis — reddentes*; de duobus hominibus loquitur Magno Pompeio simillimis. Etiam corona dicebatur *honor frontis*; vid. Markland. ad Pap. Statii Silv. ed. Sillig. p. 267, b. ubi plura exempla allata sunt. Ne omittas pron. *suus* etiam ad *gloria* referre.

Cap. XI. — *ut turbae placuit, considunt armati.*

Gronov. adnotavit: „scripsit omnino Tacitus: *ut turba placuit*, sua ipsis scilicet. Postquam satis frequentes convenisse sibi visi sunt." Quam conjecturam Lallemand, Ernesti probarunt, La Malle, Bredow, Weikert, Im. Bekker receperunt. Et meo sensui valde blanditur. Is, cui quid placet, facile omittitur, id, quod placet, non item. Infra. c. 16. *Colunt discreti ac diversi, ut campus, ut nemus placuit.* Si fonti, campo aliquid placere posset, idem librarius, qui primus male sedulus *turbae* scripsit, etiam *ut fonti placuit* scripsisset. c. 11. *si displicuit sententia, fremitu aspernantur, sin placuit, frameas concutiunt.* Plin. H. N. VIII, 32. *ubi placuit robur, in aperta prodeunt.* Liv. XXXIX, 30. *ubi satis placuere vires.* Tac. H. IV, 23. *vis et arma satis placebant.* Turba denotat numerum, multitudinem. ut Cic, Brut. 32. *turba novorum voluminum.* 97. *turba patronorum.* Quinct. Inst. or. X, 5, 21. *turba discipulorum.* Walch in contextu verborum habet *turbae*, in interpretatione: Gefällt die Masse, dann lagern sie sich bewaffnet.

Cap. XIII. — *Magnaque et comitum aemulatio, quibus primus apud principem suum locus, et principum, cui plurimi et acerrimi comites; haec dignitas, hae vires. Magno semper electorum juvenum globo circumdari in pace decus, in bello praesidium.*

Sic interpungendum est; in omnibus editionibus perperam post *comites* punctum, post *vires* comma, post *circumdari* semicolon positum est, ad quam interpunctionem etiam convertunt locum, ut Walch: „und vielfache Eifersucht theils unter Begleitern, wem der erste Rang bei seinem Fürsten, theils unter den Fürsten, wem die meisten und muthvollsten Begleiter. Dies ihre Würde, dies ihre Kraft;

immer von einem Haufen erlesener Jünglinge umschlossen zu seyn; im Frieden ihr Ruhm, im Kriege Schutz.“ *Haec dignitas*, *hae vires* cum praecedentibus coniungendum, neque subtilius videbitur, si *dignitas* ad *comites*, *vires* ad *principes* referimus. En habes ex uno hoc nostro libello sex simillima exempla, in quibus hoc pron. demonstr. bis vel ter positum ad praecedentia refertur. C. 7. *Hi cuique sanctissimi testes*, *hi maximi laudatores*. C. 13. *haec apud illos toga*, *hic primus iuventae honos*. C. 18. *hoc maximum vinculum*, *haec arcana sacra* rel. eod. cap. *Hoc iuncti boves*, *hoc paratus equus* rel. 32. *Hi lusus infantium*, *haec iuvenum aemulatio*. 46. *huc redeunt iuvenes*, *hoc senum receptaculum*. Cf. Sall. Jug. 85. *hae sunt meae imagines*, *haec nobilitas*. eod. cap. *hoc est civile*, *hoc utile imperium*. Plin. Ep. VII, 26 *haec summa curarum*, *summa votorum*. Virg. Aen. X, 858. *Hoc decus illi*, *hoc solamen erat*.

In enuntiatione *Magno semper — praesidium*, *Magno — circumdari* subjectum est, *in pace — praesidium* praedicatum. De infinitivo munere subjecti fungente vid. Forbiger. ad. Lucr. IV, 776. VI, 69. Hand. ad Wopk. Lect. Tull. pag. 75. Infra c. 14. *Jam vero infame in omnem vitam ac probrosum superstitem principe suo ex acie recessisse*; Cic. Paradox. 6, 3. *Contentum suis rebus esse maximae sunt certissimaeque divitiae*. Si igitur infinit. et accus. c. inf. subjectum esse potest, cur non etiam in constructione accusativi c. inf.? equidem nullus dubito, quamquam exempla mihi non sunt in promptu. An non recte dicerem: Cicero dixit, suis rebus esse contentum maximas esse certissimasque divitias? Quod si mihi conceditur, omni difficultate liberatus est locus ille vexatissimus Hist. I, 3. *Nec enim unquam atrocioribus populi Romani cladibus magisve iustis indiciis adprobatum est*, *non esse curae Deis securitatem nostram*, *esse ultionem*. Ad quem locum Lips. exclamat: „Impium, impium, tuum dictum, Tacite: etsi non imprudens. Nam humano ingenio si rem libras: cum tot clades, tot tristia, tam rara in bonos praemia, quid nisi advigilare Deos tantum censeas in poenas? Atqui nos scimus aliter etc.“ Tolle virgulam post *nostram*, *non esse — nostram* pro subiecto, *esse ultionem* pro praedicato accipe, et omnia plana sunt. Nemo ignorat, quam dubitarint Romani, essentne homines Diis curae, nec ne. Sed Tacitus, qui dicit Hist. II, 38. *— eadem illos Deum ira — in discordiam egere*. III, 72. *— propitiis*, *si per mores nostros liceret*, *Diis*, et nostro loco probare studet, homines Diis curae esse, dicens: his atrocissimis cladibus iustissimisque indiciis adprobatum est, si

nonnunquam non curae sumus Diis, id non esse incuriam rerum humanarum, sed ultionem; ad nos ulsciscendos, puniendos nonnunquam Dii, si maleficiis nostris meremur, nobis ipsis, stultitiae, improbitati, turpitudini nostrae, nos committunt.

Cap. XV. *Quotiens bella non ineunt, non multum venatibus, plus per otium transigunt dediti somno ciboque.*

Hunc locum librarii cujusdam imprudentia, vecordia corrupisse videtur, cogitavit nimirum, si plus per otium transegerunt, non multum venatibus transigere potuisse Germanos. (Ipse Ricklefs dicit: „dafür (pro *non multum*) entscheidet die ganze Stelle: dediti somno — quietem. Würde das non ausgelassen, so widerspräche Tac. in einer Stelle sich selbst, welches weit unerhörter ist, als daß zwei verschiedene Schriftsteller einander widersprechen.) Non vidit *quidem* et *tamen* vel *sed* esse supplendum, ut c. 5. *satis ferax, frugiferarum arborum impatiens*, et aliis multis locis. Sall. Jug. 105 *timor aliquantus, sed spes amplior.* De omissione voc. *quidem* vid. Wopkens. Lect. Tull. ed. Hand. p. 90. Goerenz. ad Cic. Fin. p. 186; de omiss. voc. *tamen* Cort. ad Sall. Jug. 35, 9. Kuehner. ad Cic. Tusc. p. 327. Ramsh. Gramm. lat. ed. alt. 1830. p. 989. Quam valde id et Caesaris testimonio (B. G. IV, 1. *multumque sunt in venationibus.* VI, 21. *vita omnis in venationibus.*) et Germanorum ut omnium rudium gentium moribus adversaretur, si Tac. *non multum etc.* scripsisset, vide apud alios. Optime igitur Lips. voc. *non* expunxit, meritoque hac in re exemplum eius secuti sunt Conring., Periz., Ernest., Bip., Oberl., Im. Bekker, Woltmann, Stromb., Spreng., Gutmann, Buelau. Walch negationem non transtulit et uncis inclusit.

Cap. XVII. *Tegunem omnibus sagum, fibula aut si desit spina consertum; cetera intecti totos dies juxta focum atque ignem agunt.*

Praeter Anton. et Ferd. Bischoff., qui recte convertunt: Uebrigens bringen sie unbedeckt ganze Tage am Heerde und Feuer zu, omnes, quos inspexi, perperam interpretati sunt locum. Nolunt, Tacitum dixisse, nudos in domibus suis egisse veteres Germanos; iterum quidem infra cap. 20. Tac.

dicit: *in omni domo* n u d i *ac sordidi in hos artus, in haec corpora, quae miramur, excrescunt,* sed *nudi* ibi volunt esse *levi vestimento induti,* quod mea sententia ex c. 6. *nudi aut sagulo leves* probari non potest; possunt quidem esse synonima haec verba, sed non oportet; praeterea conferendi sunt de hac re Caes B. G. IV, 1. VI, 21. Sen. de Prov. 4. de Ira I, 11. Mela III, 3. Becker l. l. p. 98. Uebrigens, inquit, darf man in den Worten: totos — agunt nicht wie gewöhnlich geschieht, ein Zeugniß für die altgermanische Faulheit suchen, vielmehr müssen die Worte im Zusammenhange genommen werden, indem der Schriftsteller sagen will, die Germanen hätten ganze Tage am Heerd und Feuer sitzend n u r m i t e i n e m M a n t e l b e d e c k t, und im Uebrigen unbekleidet, aushalten können. Quibus equidem non subscripserim. Etenim primum grammatica ratio non patitur, ut coniungamus *intecti — agunt* cum *tegumen omnibus* (est) *sagum.* Deinde Tac. hoc capite de vestiendi singillatim, non de vivendi ratione universe loquitur. Ante omnia ei erat indicanda ratio, qua Germani extra domos vestiti erant. An verisimile est, juxta focum atque ignem eodem vestimento (sago vel pelle) indutos fuisse Germanos, quo extra domos, sub dio, maximo frigore? Quod ad pudorem attinet, non licet ad nostros mores metiri initia rudium gentium; cf. Caes B. G. VI, 21. fin. Distinquatur etiam aportet pudor (sit venia verbis) internus et externus; summo fuisse Germanos interno pudore, ex tota Taciti descriptione liquidissime patet. Luden in medio rem relinquere videtur, dicens: l. l. p. 582. in dem warmen Hause warfen sie gern ab, was beschwerlich war oder unbequem. Der Römer saget, sie gingen nackt einher.

Cetera non denotat *quod attinet ad ceteras corporis partes,* Tac. enim antea de parte quadam corporis non locutus est, sed adverbium est, hic idem significans, quod *ceterum,* übrigens, neque ad *intecti,* sed ad totam enuntiationem referendum. Tac. Ann. VI, 15. cetera equestri familia. Et infra c. 25 in verbis *cetera domus officia* non retulerim *cetera* ad *officia,* quum, quae servo ibi Tac. dicit praestanda esse domino, non domus officia sint. Gutmann recte transfert: — der Herr legt ihm wie einem Lehnsmann eine Abgabe an Getreide, Vieh oder Kleiderstoff auf, weiter geht die Unterthänigkeit nicht. Die Hausgeschäfte verrichten Frau und Kinder. La Malle: Pour le service de la maison, ce sont la femme et les enfants qui les font; reliqui omnes, quos inspexi, male convertunt, ut Walch, die übrigen Hausgeschäfte ꝛc. Ruddim. ed. Stallb. II. p. 159. Forbiger ad Lucr. II, 359.

Cap. XVIII. *Nam prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur.*

A nemine hunc locum satis accurate explicatum vel translatum reperio. Duae circumferuntur explicandi rationes. Alteram Walch his verbis expressit: nur wenige ausgenommen, die nicht aus Wollust, sondern ihres Adels wegen zu mehreren Ehebündnissen gesucht werden. *non libidine* ad *ambiuntur* referunt. Ad *ambiuntur* recte subaudiunt *a parentibus*. Jacobsii verba sunt: „puellae iis offeruntur in matrimonium a parentibus, illorum favorem ambientibus.“ At quid est, parentes non libidine eos ambiunt plurimis nuptiis? si quis aputaret, Tacitum dixisse *a puellis ambiuntur*, non majorem ferret approbationem, jam ideo quod Tac. manifesto maritos laudare voluit, non uxores neque earum parentes. Alterius explicandi rationis interpres nobis sit Sprengel. Wenige ausgenommen, die nicht aus Wollust, sondern um ihres Adels willen sich um mehrere Weiber bewerben. Num ob suam ipsorum nobilitatem plures uxores ducunt? an ob nobilitatem uxorum, vel parentum earum? quamquam hoc posterius quodammodo ferendum esset. At qua ratione hi VV. DD. passivam formam *ambiuntur*, et ablativum *plurimis nuptiis* expedient?

Tacitus sine ulla dubitatione nihil aliud dicit, quam, qui non libidine plures uxores ducunt, sed quod ob nobilitatem suam ipsorum a parentibus puellarum expetuntur, ambiuntur. Quae sententia eo modo expressa est, qui apud Tacitum ne in difficilioribus quidem est adnumerandus. Aut supplere potes *non libidine id faciunt* (cf. observat. meas in Agr. p. 16.), aut cogites, Tacitum initio activa constructione usurum fuisse, deinde in posteriore enunciati parte in passivam transiisse; aut si mavis pro figura, quod Ζεῦγμα vocant, habeas; ex passivo verbo activum eliciendum, ut ex activo passivum, Hist. I, 83. *Tumultus proximi initium non cupiditate vel odio — — aut formidine periculorum, nimia pietas vestra acrius quam consideratius excitavit;* ad *initium* supplendum *excitatum est;* Thucyd II. 11. Ὅταν ὑπ' ἄλλων (sc. ἀδικῶνται) καὶ μὴ αὐτοὶ τοὺς πέλας ἀδικῶσι; ut ex praeterito tempore praesens, Germ. c. 2. *nunc Tungri* (vo-

centur) *tunc Germani vocati sint*; et ex praesente praeteritum, c. 36. *qui olim boni aequique Cherusci* (vocati sunt), *nunc inertes et stulti vocantur*. Thucyd. I, 86. Ἡμεῖς ὅμοιοι καὶ τότε καὶ νῦν ἐσμέν. Ex verbo oppositum verbum elicitur, Ann. XII, 64. *quae filio dare imperium* (quibat), *tolerare imperitantem nequibat*. XIII, 56. *deesse nobis terra, in qua vivamus* (potest), *in qua moriamur non potest*. I, 17. *hinc saevitiam centurionum et vacationes munerum redimi*. Cf. Wolf. ad Ann. I, 35. *neu mortem — sed finem orabant*. Sanct. Min. ed. Bauer. II., p. 355 — 58. Aug. Grotef. gr. lat. §. 499.

Eod. Cap. — *sic vivendum, sic pereundum; accipere se, quae liberis inviolata ac digna reddat, quae nurus accipiant rursusque ad nepotes referantur.*

A Rhenano usque ad Passovium omnes, ex quibus inprimis nominandi sunt Ernesti, Seebode, Jacobs, Im. Bekker; scripserunt: *rursusque ad nepotes referant*; Passow, quem secuti sunt Guenther, Teubert, Walch, novum aliquid induxit scribens: — *accipiunt rursus, quae ad nepotes referantur*. Hess eandem lectionem recepit, nisi quod virgulam ante *rursus* posuit. Idem, quod Hess, omnes edd. vett. ante Rhen. videntur exhibere. De meliorum codd. lectione nihil certi adnotatum invenio; videntur ad unum omnes habere *referantur*, sed fluctuare inter *que* et *quae*. Cod. Humm. habet *que*, non coniunctum cum voce praecedente, ita ut pro *quae* sit habendum, quum codex ille littera *e* pro *ae* semper utatur. Sed quum prope ubique et coniunctio *que*, et pronomen *quae* per compendium scriptum videam, paene crediderim, librarium ipsum haesitasse, et in medio rem relictam voluisse.

Lectionem, quam adscripsi, quamque (virgula post *accipiant* posita, quam sustuli) apud unum Diltheyum lego, unam veram iudico. *Rursus* ad praecedentia relatum valde friget; ad sequentia relatum, pronomine *quae* retento, ex meo quidem sensu nihil aliud significare potest, quam nostrum ferner, quum plura enumerantur. Tacit. dicturus erat: uxores accipiunt, ut reddant, et nurus accipiunt, ut reddant; bis tantum acceptionem et traditionem cogitavit, qua ex causa mihi quidem vehementer displiceret pronomen *quae* ter

positum. Quamquam haec eiusmodi sunt, ut sentiri magis animo, quam cum aliis communicari, explanari possint.

Ad rem venio. Neque librarii vel primi editores *que* in *quae* mutassent, neque Rhenanus *referantur* in *referant*, si quis iis haec exempla ad deliberandum proposuisset. Sallust. Cat. 54. *ita quominus gloriam petebat, eo magis sequebatur,* sc. gloria (qui ipse locus varie corrumpebatur) Jug. 14, 16. *Si omnia, quae aut amisi, aut ex necessariis adversa facta sunt, incolumia manerent.* 101, 5. *Boechus cum peditibus, quos Volux filius eius adduxerat, neque in priore pugna, in itinere morati, adfuerant* etc. (Cf. Herm. ad Vigcr. p. 707. Ramshorn. ed. II., p. 1001. c. Ruddim. ed. Stallb. II, p. 27. qui affert Terent. Ad. I, 2, 4. *quem neque pudet quidquam, nec metuit quemquam.* Plaut. Rud. II, 1, 2. *Quibus nec quaestus est, nec didicere artem ullam.*) Sall. Jug. 31, 18. *quod magis vos fecisse, quam illis accidisse indignum est.* 35, 3. *Avidus consul belli gerundi movere, quam senescere omnia malebat.* In his duobus locis, *quod* et *omnia* ad utrumque verbum in accusandi quidem casu posita sunt, sed ad prius in obiectivo, ad posterius iu subiectivo. 94, sub fin. *sic forte correcta Marii temeritas, gloriam ex culpa invenit* (Cort. ad Lucan. II, 218.) Huic loco simillimus est in nostro libello c. 5. (comparato loco Plautino supra laudato) *pecorum fecunda, sed plerumque improcera* sc. sunt; quem locum in Observ. in Agr. alia ratione enucleare conatus sum, quum nondum edoctus his Sallustianis exemplis et subiectum desiderans, cui *improcera* praedicatum adiectum esset, cum Lipsio opinarer, Tacito *pleraque* fuisse scribendum. De activis et passivis cuniunctis, sive de mutato subiecto cf. Matthiaeum ad Cic. pro Lig. §. 14. (Cic. Orat. VI. etc. Lips 1830.) Wopk. Lect. Tull. ed. Hand. p. 85. Goerenz. ad Cic. Fin. II, 15. *Si enim ad honestatem omnia referantur neque in ea voluptatem dicant inesse* rel.

Quae si recte me statuisse concedis, commilitonem te mihi futurum spero in defendenda hac Gronovii sententia, quam omnes fere exploserunt. Constructionem verborum, *quae liberis inviolata ac digna reddat* explicaturus dixit: „nisi tamen non mendum hic sed specimen brevitatis Taciti, qua fit, ut vox *liberis* ceu bis posita intellegi debeat; et quidem relata ad τὸ *reddat* dandi, ad τὸ *digna* auferendi casu.“ Vides, quam similis, quam eadem dixerim haec constructio sit, atque ea de qua locutus sum. Plin. Ep. VII, 26, 2. *ne sermonibus quidem malignis aut attendit aut alitur; sermonibus* ad *attendit*

relatum est dativus, ad *alitur* ablativus. Admiratio tibi augebitur legenti Liv. XXXV, 19. *odi odioque sum Romanis.* Cic. Ep. ad Div. XIII, 4. *ut te horter et suadeam.*

De vocabulo *rursusque* adhuc pauca sunt subiungenda. Habet nostro loco duas priores significationum earum, quas Meiner in libro inscr. Uebersicht aller zum lat. Sprachstud. gehör. Partikeln Ernesti nomine proposuit; denotat et iterationem et reductionem in eandem, in qua quid antea fuerat, conditionem. Plin. Ep. IV, 24. *Studiis processimus; studiis periclitati sumus rursusque processimus.* Ovid. Metam. XII, 57. *sumere quas vellet rursusque reponere sumtas.* VI, 46. *subitusque invita natavit ora rubor rursusque evanuit.* Virg. Aen. III, 422. *Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras erigit alternos.*

Eod. Cap. *Ergo saeptae pudicitia agunt, nullis spectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corruptae; litterarum secreta viri pariter ac feminae ignorant.*

Ad lectionem *saeptae*, quam longe praeferendam duco, cf. Liv. III, 44. *postquam omnia pudore saepta animadverterat.*

Litterarum secreta est cognitio litterarum, ars legendi scribendique; sententia loci est, nec spectaculis, nec conviviis, nec libris corrumpuntur. Quod nonnulli memorantur, qui legendi ac scribendi periti erant, ut singuli duces, sacerdotes, id Taciti testimonium non redarguit. Profecto neque universa gens, neque nobiles quidem Taciti temporibus artem calluerunt, cuius Carolus Magnus septingentos post annos partim, Otto Wittelsbacensis mille annis post prorsus imperitus adhuc erat. Vid. Luden. I, p. 550 et notam p. 740, ubi novissima verba sunt: es heißt immer: weder Männer noch Frauen verstehen zu schreiben, und der Schluß ist: folglich können sie auch keine Liebesbriefe schreiben. Hanc conclusionem libenter quisque probabit. Verum in eo Luden errare mihi videtur, quod de solis epistolis amatoriis (Liebesbriefe) Tacitum cogitasse censet. Nonne exstabant apud Romanos et exstant apud omnes populos excultos et politos libri, singula carmina, quae idem efficere volunt, quod spectacula et convivia, et quae non minus digna sunt nomine illecebrarum, irritationum? Meo quidem sensu haec similiora sunt spectaculorum illecebris et conviviorum irritationibus, aptiusque hic cogitatione cum iis coniunguntur, quam epistolae amatoriae.

Litterarum secreta est circumlocutio nominis *litterae* (cf. Matthiaei Gramm. gr. §. 430), aptissima illis temporibus, quibus apud Germanos ea ars ignota, res secreta erat. Liv. I, 7. *Evander — venerabilis vir miraculo literarum, rei novae inter rudes artium homines.* Recte Tac. dicit, non solum feminae, sed etiam viri legere nesciunt, quum multis et temporibus et terris fiat, ut viri sciant, feminae nesciant. Jam risum teneatis amici quum audietis, qua ratione ad unum omnes, quos evolvi, locum transtulerint. Walch: Heimlichkeiten des Briefwechsels kennen Männer so wenig, als Frauen. Schlueter: Von Liebesbriefen weiß weder Mann noch Weib. At, quaeso, qui fieri potuisset, ut alter sexus epistolarum amatoriarum cognitionem haberet, alter ignoraret? ut viri epistolas amatorias scriberent, quas feminae legere non possent? Nimirum non de cognitione solum, sed etiam de usu sermo sit oportet. Recte vero rem expressit Tac., si de cognitione litterarum in universum locutus est, tum enim satis fuisset ad corrumpendos omnes, et muliebrem sexum, si virilis solus libros vel carmina pudicitiae perniciosa legere potuisset.

Cap. XXI. *Abeunti (hospiti), si quid poposcerit, concedere moris, et poscendi invicem eadem facilitas; gaudent muneribus, sed nec data imputant, nec acceptis obligantur; victus inter hospites comis.*

Haec postrema verba duce Bletherio multi aut improbarunt, ut Ern., Oberl., Dilthey, aut uncis incluserunt, ut Schlueter, Seebode, Walch, aut expunxerunt, ut Woltmann, Jacobs, Gutmann, alii; retinuere Passow, Bischoff, Hess, Guenther, Bekker, Teubert. Orelli, Passow, Hess, Ricklefs propugnaculis ea munire conati sunt perquam infirmis, quae primo statim clamore corruunt, quum, dico, eos provocamus, ut unum ex antiquis scriptoribus exemplum afferant eius significationis, quam nomen *victus* hic habere autumant, nempe vita hominum socialis, vita communis amicorum, conversatio hominum, vel ut Ricklefs voluit: convictus, Zusammenleben, Umgang. Significat quidem etiam *vitae rationem*, sed tantum quod ad corpus, sensus, non quod ad Deos, civitatem, homines, animum attinet.

Quum ante hos tres annos Caesaris descriptionem Germaniae cum hac nostra conferrem veniremque ad finem capitis 23. L. VI. B. G., ubi dicit: *iis omnium domus patent victusque communicatur*, subito in mentem mihi venit: *victus inter hospites communis*, et sic Tacitum scripsisse persuasissimum habeo.

„Verbo victus continentur, quae esui potuique cultuique corporis, quaeque ad vivendum homini necessaria sunt. Vestem quoque victum habere vicem Labio ait.“ Ulpian. in Pandect. 16, 43. — Sexcenties *comis* et *communis* per compendium scripturae coīs in Codd. inter se commutari nemo ignorat. Cf. Ruhnk. ad Terent. Heaut. V, 1, 39. Goerenz. ad Cicer. Fin. II, 25. V. 23. Ottonem ad Cic. Senect. 17. et alios multos. *Communicare* in loco Caesariano primitivam suam habet vim, quae non est *dare alicui aliquid*, sed *commune reddere aliquid*, etwas zum gemeinschaftlichen Eigenthum machen. Liv. IV, 56. fin. *Si quando promiscui honores, communicata respublica esset* etc. Herzog ad Caes. B. G. VI, 13. „communicare etwas Eignes auch zum Eigenthum eines Andern machen, so daß gleichsam eine communio bonorum, sententiarum, rerum gestarum entsteht.“ Tag. igitur his verbis dicit, apud Germanos esse inter hospites (dum alter in alterius domo est) communionem bonorum eorum, quae ad vitam quotidianam necessaria sunt; quo adiecto sufficientem edit causam praecedentis, quod per se sane mirum esset, cur nec data munera imputent, nec acceptis obligentur. (cf. 31. *prout ad quemque venere, aluntur; prodigi alieni, contemptores sui.*) — Ne molesta tibi videatur omissio particulae explicativae, vid. Matth. ad. Cic. or. pro Mil. §. 84. „Saepe Graeci et Romani scriptores duas sententias eodem tenore progredientes (*coordinatas* vulgo vocant) juxta se ponunt, quorum altera tamen secundae vel causam vel impedimentum aliquod habet, vel secundam ex se efficit.“ Cap. 27. *Lamenta ac lacrimas cito, dolorem et tristitiam tarde ponunt; feminis lugere honestum est, viris meminisse.* Cap. 14. *Illum defendere — praecipuum sacramentum est; principes pro victoria pugnant, comites pro principe.* Agr. 46. *Nosque, domum tuam — colamus. Is verus honos; ea coniunctissimi cuiusque pietas.*

Magna me incessit admiratio, quum viderem, Hessium (Var. Lect. et observ. in Tac. germ. Comment. I. p. 26), Ricklefs., Buclavium viam intelligendi emendandique huius loci iis monstratam non esse persecutos; neglexerunt examinare significationes verborum *victus* et *communis*.

Cap. XXIII. *Si indulseris ebrietati, suggerendo quantum concupiscunt, haud minus facile vitiis quam armis vincentur.*

Pessime converterunt hunc locum Anton, Sprengel, Woltmann, Bischoff, Klein, Gutmann, alii; e. g. Stromb. nicht minder leicht würden sie durch Laster,

als durch Waffen besiegt; quum non facile victi sint armis; cf. c. 37. Recte Walch et ante eum Schlueter: Laster würden leichter als Waffen sie besiegen. *Haud minus facile* per λιτότητα est dictum; in qua negatio non simpliciter negat, sed oppositum indicat; neque duae negationes se invicem tollunt solum, sed augent significationem; cf. Zumpt. gr. §. 754. fin. *haud minus facile* igitur est *facilius*, imo *multo facilius* postulat nonnunquam sententia loci. Vid. Schmid. ad Hor. Ep. I, 3, 21. *non tibi parvum ingenium, non incultum est* etc. Liv. II, 60. *Addebantur et laudes, quibus haud minus quam praemio gaudent militum animi.* Caes. B. G. I, 1. *minime saepe* i. e. *rarissime.* ibid. 3. *ut et — minus facile finitimis bellum inferre possent.* Plin. Ep. II, 11, 11. *Equidem in senatu non semel egi,* i. e. *saepe,* fortasse cogitandum *saepissime.* Sall. Cat. 14. *parum honeste*, et Herzog. ad h. l.

Cap. XXVI. *Agri pro numero cultorum ab universis vicis occupantur, quos mox inter se secundum dignationem partiuntur. Facilitatem partiendi camporum spatia praestant. Arva per annos mutant; et superest ager. Nec enim cum ubertate et amplitudine soli labore contendunt, ut pomaria conserant et prata separent et hortos rigent: sola terrae seges imperatur.*

Res quidem ipsa plena est dubitationis, vid. Luden. I, p. 479 — 486; nihilo tamen minus lectio constitui potest. Librarios et primos editores fefelisse videtur vis adiectivi *universi*, quae proprie non est *omnes,* sed *toti* vel *omnes coniuncti*, oppositum est adiectivo *singuli*, Agr. 18. *universa gens.* 21. *universa domus.* 25. *universae gentes.* 10. *unde et universum fama est transgressis.* Dial. 21. *sive universae* (orationes) *sive partes earum.* Hist. I, 53. *universus exercitus.* Liv. V, 6. *universis exercitibus.* Cf. Daehnium ad Corn. Nep. (Grammatisch und sprachlich erklaert. Helmst. 1830) Them. 9, 4. Quod quum non viderent, cogitarunt *ab universis* esse *ab omnibus hominibus* et *vicis* pro Genitivo habuerunt, qui quum hic ferri non posset, cod. Humm. protulit *vice*, ed. Norimb., Par. *in vices* (quod receperunt Bip., Oberl., Schlueter, Bekker); *per vices* exhibent edd. Mon., Vienn., Ald., Put., Vit., Mel., Rhen., Gronov., Dithm., Ern., Passov., Dilth., Hess., Guenther., Walch.; *vices* sine praepositione legitur in cod. Tur., Stuttg., (littera *s* inducta) et edd.

Spir., Kath.; *per vicos* Pichena coniecit, Brotier probavit, Bischoff recepit. Inter codd. iam excussos unus Bamb. veram habet lectionem *vicis*, quam agnoverunt Bredow, Woltmann, Sprengel, Weikert, Seebode, Teubert, Luden. Plures fortasse mecum sentient quum dico, omnes has variantes lectt. ex una solemni in codd. mutatione litterarum *i* et *e* profectas esse posse; ut sententia quaedam prodiret, aut litteram *s* abiecerunt, aut praepositionem *in* vel *per* intruserunt, quarum neutra in ullo codice legitur. — Qui *per vices* vel *in vices* legunt, Gronovii explicatione utuntur, qui: „Satis, inquit, placet *per vices.* Caeser l. 6. Gall. *Agriculturae non student: neque quisquam agri modum certum ac fines proprios habet: sed magistratus in annos singulos gentibus nationibusque hominum, qui una coïerunt, quantum eis et quo loco visum est, attribuunt agri, atque anno post alio transire cogunt.* Ergo, quia nulla perpetua possessio, et quotannis alius tribus patrisvefamilias in alterius arationem successio, *vices.*“ At primum ex Caesaris verbis *atque anno post alio transire cogunt* (cf. IV, 1 — *neque longius anno remanere uno in loco incolendi causa licet*) minime sequitur, alium in alterius arationem successisse; deinde. si id concederemus, Tac. idem bis dixisset, quum infra dicat *arva per annos mutant;* tum, Tac. non dixisset *universis,* sed *omnibus* vel rectius *iis;* postea, quid sibi vult sequens *quos mox inter se sec. dign. part.?* Transferendum igitur est: die Aecker werden nach der Zahl der Anbauer von ganzen Gemeinden in Besitz genommen, die sie dann nach einer Schätzung unter sich vertheilen. Universus quisque vicus sive cultores cuiusque vici agros inter se partiuntur. *Dignatio* pro numero hominum cuiusque familiae et pro soli bonitate facta est.

Lectionem *labore* exhibent codd. Humm., Long., Stuttg., edd. Norimb., Rhen. mai., Mel., Par., quae una vera ducenda. Editores quidem omnes conclamant, optimos codd. habere *laborare;* at cur praeter Tur., non nominatim eos indicant? Inde a Rhenano, quamquam in edd. vett. legitur *laborare*, sensu quodam recti omnes fere editores vulgarunt *labore*, usque ad Passovium (et, qui hic ut nonnullis aliis locis non debuerunt sequi auctoritatem eius, Dilthey., Hess., Guenther., alios), qui *laborare* his verbis tueri voluit: „laborare contendere cum ubertate soli recte dicitur pro: omni adhibita contentione, labore certare cum ubertate soli, laborem fertilitati adaequare.“ Infinitivum *laborare* defensurus, qui eius sententia denotat *labore certare*, verbo *contendere* notionem inferre coactus erat, quae non huc facit. Nam Tacitum non di-

cturum fuisse, non omnem, sed ne minimam quidem contentionem a Germanis adhibitam esse, ut pomaria conserant etc., ex hoc toto loco et locis Caesarianis evidenter patet; non studebant adaequare laborem ubertati et amplitudini soli. *Contendere* igitur hic nihil aliud est, quam *certare*, qua significatione cum infinitivo construi non potest; recte dicitur *aliqua re certare cum aliquo*, vel *cum aliqua re*, tanquam persona cogitata. Bekker et Walch *labore* retinuerunt.

Cap. XXVIII. — *quia, pari olim inopia ac libertate, eadem utriusque ripae bona malaque erant.*

Ad *utriusque ripae* interpretes solent apponere *Danubii.* At unde sciunt, Danubium fuisse finem inter Osos et Araviscos? Hic et aliis locis Tacitinis, ubi *ripa* legitur, haud mediocriter laborarunt, quid statuerent; inprimis infra cap, 37. *veterisque famae lata vestigia manent utraque ripa castra ac spatia,* ubi in Hessii edit. adnotatum est: „Hoc alii de Aquis Sextiis in Gallia Narbonensi, alii de Chersoneso Cymbrica — alii de Rhodano, alii de Danubio interpretantur, nos de Rheno intelligimus. Noster enim *ripam* κατ᾽ ἐξοχήν de Rheno ponit.“ Quod posterius plurimi ut verum amplexi sunt. Confer sis etiam locos c. 17. et 23. *proximi ripae.* 29. *in sua ripa* 41. *non in ripa commercium.* Agr. 28. *in nostram usque ripam*, ubi Walch *nostra ripa* (observes numerum) dicit esse das linke Waal = und Rhein = und das rechte Donauufer. 41. *nec iam de limite imperii et ripa — dubitatum*, ubi Walch: ripa als rechtes Donauufer läßt sich im weitern Sinne fassen, bis zu den Quaden und Markomannen hinauf. Ripa dextra Danubii non solum trans Danubium et ultra sinistram ripam transferenda, sed etiam centum milliaria ulterius !?! Hist. II, 57. *cura ripae Hordeonio Flacco permissa.* Num ex his locis accuratius perspectis et collatis non plane constat, *ripa* nihil aliud esse quam finem, et quidem non solum ubi flumen finem efficit? Quod Tac. verbis *de limite imperii et ripa* quodammodo ipse indicavit, quum *limes et ripa* manifesto hic synonyma sint. Et ut *fines*, sic *ripa* non solum est Grenze, sed etiam Gebiet, Land. Nostro loco et cap. 37. *utraque ripa* sententia est dieß = und jenseits der Grenze, in beyden Ländern. Jam ubivis potes investigare et reperire vestigia, castra ac spatia.

Cap. XXVIII. *Ne Ubii quidem, quamquam Romana colonia esse meruerint, ac libentius conditoris sui nomine vocentur, origine erubescunt.*

Lips. adnotavit: „Agrippam intellegit, qui Rhenum cos primus traduxit, et in iis sedibus collocavit. Jlle tamen non est Coloniae conditor, neque auctor nominis; sed ab Agrippina id habent, eius filia, ut Tac. clare A. 12,27. scripsit. Jtaque dubitavi, num *conditoris suae* legerem: neque novum eius flexus verba in foemineum etiam genus usurpari, Virgilius de Junone 12,159. *Auctor ego audendi.* Ovidius de Venere Heroid. 16,114. *sponsor coniugii stat Dea picta sui.* Et plura sunt eiusmodi.“ Jure miramur Lipsium, qui *conditoris suae* legendum statuerit. (Colerus *suae* expungi voluit; Ricklefs putat: Doch sollte man, wie Lipſ. wollte, der Deutlichkeit wegen *suae* statt *sui* erwarten.) Neque tamen minus mirandi sunt et ii, qui inopes, ut videntur, consilii tacuerunt, ut Ernesti, Oberl., alii, et ii, qui contra Lipsium pugnant, ut Longol., Passow, Hess, in cuius edit. adnotatum legimus: „erat Agrippina, rel. — Nam apud veteres *conditor* erat epicoenon, et vox *conditrix* est demum sequioris aevi. — Hinc (?) frustra cum Lipsio malis *conditoris suae.* (Ovid. Fast. V. 192. *Optima tu proprii nominis auctor eris.*“) Num Lips. dubitavit, num liceret *conditor* de femina dicere? quin ipse exempla attulit; dubitavit tantummodo, vel rectius non dubitavit, ac quidem merito, quin non liceret dicere de femina *conditor suus*, dicendum est *sua*; vides, locum, quem testem citat Hess contra Lips., adiectivo *optima* pro eo loqui.

Res sic se habet. Lips. et, si non omnes editores et interpretes, certe omnes, qui de hac re locuti sunt, opinabantur, *sui* esse genitivum pronominis possesivi, non viderunt, pronomen reflexivum, genitivum obiectivum esse. *Conditor sui*, i. e. qui se (Agrippinenses, civitatem, urbem eorum) condidit. (Virg. Aen. I, 33. *condere gentem.* Vell. Paterc. I, 15. *colonias condere.* Just. II, 6. *genus hominum condere.*) Quae causa erat corruptelae in Annal. XI, 24. *conditor noster Romulus.* Cod. Guelferb. teste Strombeckio praebet *nostri*; idem meis oculis video in ed. Put., idemque in cod. Flor. sit oportet, si Petr. Victorius accurate legit, qui in exemplari huius editionis, in biblioth. reg. Monac. servato, quod cum cod. illo contulit, ad hanc vocem nullam adnotavit varietatem; et si Leon. Spengel V. D. recte vidit, cuius liberalitati atque

humanitati usum huius editionis debeo, in qua ipse variantes has lectiones Victorianas descripsit. Cf. Annal. XII, 11. *sui detractor.* Cic. Univ. 13. *Imitantes genitorem et effectorem sui.* Cic. Fin. V, 9. — *naturam esse conservatricem sui.*

Cap. XXXV. *Prompta tamen omnibus arma; ac, si res poscat, exercitus, plurimum virorum equorumque.*

Editores recentiores omnes Walchio obtemperarunt, qui in Emendd. Liv. p. 124. virgulam ante *exercitus* tolli jubet, additque: „haud me fugit absolute posita formula *res poscit* apud Quintilianum et aequales, sed non ita constanter scio veteres uti, ut non sit adiecto casui locus." At ego equidem, nisi exemplis mihi probetur, non credo, Romanos unquam in hac dicendi formula obiectum apposuisse; non solum Quintil. et aequales, sed etiam antiquiores absolute ea usi sunt; Sall. Jug. 35, 5. *ubi res postulabat.* 70, *uti res posceret.* 85. *si res postulat.* Corn. Nep. Alcib. 1. *quum tempus posceret.* Tac. Hist. II, 5. *si res posceret;* et hoc ipso libello praeter nostrum locum legitur c. 6. *prout ratio poscit.* 44. *ut res poscit.* In observat. in Agr. p. 20 dixi: „Equidem valde dubito an. usquam scriptores Romani agmina barbarorum *exercitum* vocarint." Steuber V. D. in Jahnii Ephem. litter. Jahrbücher für Philologie und Pädagogik ann. 1828. hanc sententiam oppugnans ad nostrum locum me delegat, qui pro me potius loquitur, quam contra me. Taciti sententia est: si res poscit, non solum copiae, agmina, multitudo hominum armatorum, qui sine ullo ordine iter faciunt, pugnant etc., ut reliquis Germanorum nationibus, sed, ut Chattis, *exercitus*, quod nomen, ab *exercendo* derivatum, Tac. ipse quodammodo describit c. 30: *„multum ut inter Germanos, rationis ac sollertiae: praeponere electos, audire praepositos, nosse ordines, — — quodque rarissimum, nec nisi Romanae *) disciplinae concessum, plus reponere in duce quam in exercitu.* Et Caesar

*) *Romanae*; quod nunc etiam Hess. in Comment. I recte praestantius ducit cum Orellio, quam lectionem vulgatam *ratione*, una vera est lectio; non convertendum der sed einer Römischen Disciplin, i. e. nisi iis, qui eadem vel simili, qua Romani, disciplina utuntur. cf. Tac. Ann. II, 45. *Diriguntur acies, pari utrimque spe nec, ut olim apud Germanos, vagis incursibus aut disiectas per catervas: quippe longa adversum nos militia insueverant sequi signa, subsidiis firmari, dicta imperatorum accipere.*

in locis a Steubero allatis de iis tantum nationibus loquitur, qui iam *exercitatissimi in armis* (Caes. B. G. I, 36.) erant, qui disciplinam Romanam iam tum cognoverant partimque imitabantur. Neque ego unus, iam propter etymologiam vocis, in hanc sententiam deductus sum, sed etiam Herzog, diligens ille Caesaris explanator, adnotat ad Sall. Cat. 7.: Caesar beobachtet genau den Unterschied, daß er copiae nur von den feindlichen Schwärmen, exercitus von seinen tactisch geübten Soldaten sagt." Quod ad verba *plurimum virorum equorumque* attinet, cf. Quintil. Inst. orat. X, 1, 65. *Plurimum virium.* Plin. H. N. XVI, 57. *plurimum ventorum.*

Neque silentio mihi praeterunda est alia huius loci explicatio, quam Hess in Comment. I his verbis affert: „Censor Seebod. Bibl. crit. p. 212. *plurimûm* per syncopen scriptum putat pro *plurimorum* ob sequentes genitivos *virorum equorumque*; cui explicationi non astipuler.“ Equidem Walchianae longe praeferendam ducó. De genitivi forma *ûm* pro *orum* vid. Prisc. ed. Putsch. p. 742. Forbiger. praefat. ad Lucret. p XIII. Ramshorn ed. II. §. 27, 5. Virg. Aen. VI, 307. *magnanimûm* VIII, 513. *Teucrûm* atque *Italûm.* IX, 609. *iuvencûm.* X, 81. *Graiûm.*

Cap. XXXVI. *Tracti ruina Cheruscorum et Fosi contermina gens adversarum rerum ex aequo socii sunt, cum in secundis, minores fuissent.*

Hanc lectionem exhibet cod. Humm., alii multi legunt *tacti* pro *tracti.* Ad ea, quae Ernest. et Oberl. ad. h. l. recte disserunt, haec habeo addere. Si ruina Cheruscorum tetigisset tantum Fosos, non potuisset Tacitus *ex aequo socios* eos vocare; *ruina trahere*, non *ruina tangere*, est *praecipites dare*, ut Passow autumat. Quod tangitur solummodo ruina, stare potest. Walch *tacti* legens convertit: Der Sturz der Cherusken riß die Fosen nach; num est *tangere* nachreißen?

Verbum *sunt* ferendum quidem, suspectum tamen. Ex eo mihi videtur ortum esse, quod *Tracti*, *Tacti* (Tur. *Chatti*) pro nomine populi cuiusdam habuisse videntur librarii, quo facto enuntiatio verbo finito iis destituta erat. Nimirum in cod. Humm. nomina propria populorum in margine liquore rubro eadem manu, qua contextus verborum, adscripta sunt, in quibus *Tracti* quoque eodem rubro vestimento conspiciuntur. — Saepissime a glossatoribus verbum substantivum additum esse, vid. in Wunderi Var. Lect. libror. aliquot Ciceronis ex cod. Erfurt. enot. p. LXXXII et plur. locis.

Cap. XXXVII. *Quid enim aliud nobis, quam caedem Crassi, amisso et ipse Pacoro, infra Ventidium deiectus oriens obiecerit?*

Hanc Lectionem exhibet cod. Humm., quod a nemine adnotatum valde miror; neque quid in aliis codd., qui adhuc exstant, legatur, in editorum notis invenio, praeter Tur., qui, teste Orellio, habet *in ipso*, quod receperunt Ern., Oberl., Seebode, Passow, Guenther, Teubert. In edd. vett. Puteol., Spir., Kath., Norimb., Monac., Rom., Par. διττογραφούμενον legitur *et ipso es ipse*. Rhenan. prius delevit, quem secuti sunt Althamm., Conring., Gronov., Brotier, Lallemand, Bredow, Bekker, Walch, alii. Pro certo habendum, Tac. *et ipse* scripsisse, qui nominativus inter duos ablativos positus, sive inter verba, quae in constructione ablativi absoluti posita conniungenda sunt, librarios et multos editores offendit, neque viderunt, pronomen *ipse* utique ad subjectum *oriens* referendum esse. Sententia loci est: Oriens nihil nobis obiicere potest, quam Crassi caedem, sed neque eam sine propria iactura nobis attulit, quum non nos soli ducem amiserimus, sed et ipse Pacorum ducem amiserit. Mireris Ernest. dicentem: „Ms. Tur. quidem habet *amisso et ipso Pacoro*, quod coniecturae Rhenani praetuli; non quo *ipse* me offenderet, quod elegantius puto, sed quod *et* in illa lectione nimis friget, non in nostra.“ Sive *ipso* sive *ipse* legis, *et* idem significat, sc. *etiam*. Tacitus notionem amittendi, ut sequens *infra Ventidium deiectus*, participio perf. expressurus, quum lingua latina participio perf. act. careat, passiva constructione et ablativo absoluto uti erat coactus. (Ramsh. ed. II. pag. 658. Mathiae gr. §. 560.) *Et ipse Pacorum amisit*, *et ipse Pacorum* ἀπολωλεκώς, *et ipse Pacoro amisso*, et quum *amisso* gravior esset enuntiationis vox, *amisso et ipse Pacoro.* Dubitas fortasse, num id licuerit; iam multi et in aliis scriptoribus dubitarunt. Sall. Jug. 18. *Sed postquam in Hispania Hercules, sicuti Afri putant, interiit; exercitus eius, compositus ex variis gentibus, amisso duce, ac passim multis, sibi quisque imperium petentibus, brevi dilabitur.* Quem locum Lechner, Gymn. Curiani Rect. et Prof., in programmate suo, Observ. in nonnullos Sall. locos continenti, recte explanavit. Optime probavit, *quisque* pro nominativo accipiendum esse, non pro *quibusque*, neque *quique* neque *quoque* legendum. Contulit locos ap. Ruddim. II, p. 298 allatos, Liv. XXI, 40. *Diis auctoribus in spem suam quisque vocatis*, et Justin. XXIX, 1, 8. *his regibus pueris — in suorum quisque maiorum vestigia nitentibus.* Quodammodo et hi loci conferri possunt. Liv. I, 29. *quibus quisque poterat elatis.* IV, 39. *quibus poterat sauciis ductis.* Sall. Jug. 100. *uti militibus exaequatus cum imperatore labor volentibus esset*; quae verba *militibus — volentibus* ablativum absolutum esse Aug. Grotefend (gr. lat. T. II. pag. 354) recte statuit. Lucan. V, 171. *erectis discussa comis.* — Cf. etiam Agr. 46. *tuis ipse moribus.* Hist. IV, 78. *suis quisque locis.*

Cap. XLII. *Marcomanis Quadisque usque ad nostram memoriam reges manserunt ex gente ipsorum, nobile Marebodui et Tudri genus; iam et externos patiuntur. Sed vis et potentia regibus ex auctoritate Romana. Raro armis nostris, saepius pecunia iuvantur; n e c m i n u s v a l e n t.*

Ad verba postrema subaudiendum *ea*, i. e. nec minus valent reges pecunia nostra, quam armis nostris, und sie richten nicht weniger (damit) aus. (cf. c. 15. *iam et pecuniam accipere docuimus.*) An iis tantum rebus aliquis valere potest, quae a principio ipsius erant, non etiam iis, quas ab altero accepit? *Valere* significat etiam *posse, efficere*, vermögen, ausrichten; c. 19. *plusque ibi boni mores valent, quam alibi bonae leges.* Ann. XI, 24. *Romulus tantum sapientia valuit, ut plerosque populos eodem die hostes, dein cives habuerit.* Caes. B. G. II, 17. *quidquid possunt, terrestribus valent copiis.* Flor. III, 5, 24. *Mithridates quidem nocte illa debellatus est, nihil enim postea valuit, quanquam omnia expertus.* Quanquam de re nota loquor. Si Tac. non addidisset, illos reges non minus pecunia Romanorum valere, quam armis eorum adiutos, non video, quo jure dicere potuisset: *iam et externos p a t i u n t u r?*

Omissio ablativi, quem verbum *valere* hic postulat, et qui ex praecedentibus facile repetitur, neminem, spero, praesertim apud Tacitum, offendet; tam vulgaris est huiusmodi omissio, ut in ellipses Tacitinas, quas iam pridem colligere coepi, non receperim. Zumpt. Gr. §. 766. Cf. c. 29. *Nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit;* sc. eos. c. 24. *ea est in re prava pervicacia, ipsi fidem vocant;* sc. eam; in quibus exemplis adeo alio casu supplendum est pronomen, quam quo praecedit. Tucyd. I, 144. Τούτοις ἀποκρινάμενοι ἀποπέμψωμεν sc. αὐτούς. I, 20. τῷ Ἱππάρχῳ περιτυχόντες — διακοσμοῦντι ἀπέκτειναν sc. αὐτόν.

Nisi tibi iam notum sit, vix fidem tribues mihi dicenti, editores et interpretes, quod sciam, omnes ad unum nescisse, quid his verbis facerent. Plurimi, quorum agmen Walch claudit, cum sequentibus coniungunt, *neque minus valent retro Marsigni, Gothini etc.* Num Tac. proxime ante dixit, Marcomanos Quadosque multum valere? et, si hoc concedi posset, qui dicere potuit, Marsignos, Gothinos etc. non minus valere, de quibus proximis versibus subiungit; *Partem tributorum Sarmatae, partem Quadi ut alienigenis imponunt. Gothini, quo magis pudeat, ferrum effodiunt?*

Quod ad ellips. verb. *quam armis* attinet cf. Roth. Corn. Tac. synonyma etc. pag. 41. „Tac. vero ex rebus duabus comparatis alteram, quae sequitur, saepius omittit.“ Hist. I, 12. *Non sane crebrior tota civitate sermo per illos menses fuerat;* sc. quam de hac re, quam ille.

Eod. cap. *Eaque Germaniae velut frons est, quatenus Danubio porrigitur.*

Libri scripti et editi veteres fluctuant inter *peragitur* et *pergitur*, deinde coniiciebatur *praetexitur*, *protegitur*, *praetenditur etc.* Lipsius coniecit *porrigitur* (nunc etiam in ed. Par. ab Hess. lectum), quod Ernestio placuit, nisi quod *porgitur* scriptum vult, quodque Seebode et Walch receperunt, mea sententia merito, quum hoc verbum solemniter cum fronte coniunctum legi videatur. Terent. Adelph. V, 3, 53. *frontem exporrigere.* Plaut. Cas. II, 4, 3. *porrectior frons.* Ovid Metam. IV, 526. *scopulus frontem porrigit in aequor.* (Germ. 41. *pars Suevorum — porrigitur.* Ann. I, 64. *planities porrigebatur.* XIII, 38. *pars in planitiem porrigebatur.*)

Cap. XLV. *Insigni superstitionis formas aprorum gestant; id, pro armis omniumque tutela, securum deae cultorem etiam inter hostes praestat.*

Lipsii coniecturam *omnique* receperunt Ern., Bip., Seebode, Jacobs, Weikert, Bekker, Walch, alii; cui lectioni sententia quidem non obstat, sed auctoritas Codd. et edd. vett., quum praeter Tur. omnes, inter quos etiam Humm., exhibent *omniumque.* Alii *omniumque* retinuerunt, quorum plurimi tacent, nonnulli male defensitant; neque melius transtulerunt omnes, qui mihi innotuerunt, interpretrs. Contra Passovii explicationem, qui autumat, Tacitum verbo *omnium* dicturum fuisse *universarum cohortium*, non *singulorum militum*, iam Hess prospere pugnavit; sed Longolii sententiam „omniumque se bene tuebitur, si interpreteris quasi tutelaque omnium", quam suam agnoscere videtur, equidem non perspicio. In Longolii dictatis nihil invenio, quam hoc: „Ernesti hat in 1 Msc. omni gefunden, mag nur durch die Abbreviatur gekommen seyn." Ad *omnium*, qui id tuentur, omnes supplere videntur *hominum*; at non solum, quod amantissimus quisque veritatis ingenue fatebitur, maxime est otiosum, verum etiam intolerabile, quum latinus sermo vehementer abhorreat ab hac verborum collocatione; licet dicere *arma et tutela omnium*, *omnium arma et tutela*, *arma omnium et tutela* (cf. Observ. meas in Agr. pag. 3.), sed *arma et omnium tutela* non licet, nisi, quod, hac explicatione accepta, non potes, genitivum ad posterius substantivum solum referas. Ricklefs transfert: statt aller Waffen und Schutz ꝛc. Bischoff: dieß gilt allen für Waffe und Schutzgewehr.

Vox *omnium* mea sententia gen. neutr. est, et genitivus est obiectivus, tutela contra omnia. Docemur quidem dicere *omnium rerum*, *omnibus rebus*, et est sane usitatius, sed et nostrum legitur, certe apud Caes. et Sall. quorum admiratorem, Sallustii etiam imitatorem fuisse Tacitum ex ipsius scriptis et di-

ctione constat. Sall Jug. 85, 10. *scilicet ut in tanta re ignarus omnium trepidet, festinet, sumat aliquem ex populo monitorem officii sui.* (90. *omnibus exploratis.* 94, 1 *paratis compositisque omnibus.*) Caes. B. C. II, 29. *magnus omnium incessit timor.* (collat. c. III, 44. *magnus incesserat timor sagittarum*). Ann. III, 15. *nullo magis exterritus est, quam quod etc.* pro. *nulla re.* Virg. Aen. VII, 112. *consumtis hic forte aliis.* Liv. XXVIII, 20. *omnibus patentibus.* XXVIIII, 7. *omnibus paratis.* eod. cap. *nihil omnium, quae etc.* — Quin etiam Cicero, ut nunc video, dicit Ep. ad Div. V, 13, 6. *nos autem erimus etiam in omnium desperatione fortes*, ut Orelli ex codd. recte legit; alii *rerum* infulserunt post *omnium.*

Addendum mihi est, meo sensu *tutela* nominativum, non ablativum esse, et verba *pro armis omniumque tutela* non esse praedicatum, sed appositionem pronominis *id*, post quod igitur virgula ponenda est, quod feci.

Agric. cap. XXXIV. *Ii sunt, quos proximo anno unam legionem furto noctis aggressos clamore debellastis: ii ceterorum Britannorum fugacissimi ideoque tam diu superstites. Quomodo silvas saltusque penetrantibus fortissimum quodque animal contra ruere, pavida et inertia ipso agminis sono pelluntur: sic acerrimi Britannorum iam pridem ceciderunt, reliquus est numerus ignavorum et metuentium, quos quod tandem invenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt.*

Contra ruere legitur in cod. Vat.; Edd. vett. ante Rhenanum *contra* omiserunt, quod excusationi sit Rhenano, qui, *ruere* in *robore* mutato, hic ut aliis multis locis scriptoris verba etiam magis corrupit. Novissimi huius vitae editores, Dronke, Bekker, Becker, Hertel, Peerlkamp, qui optimo iure codicibus mss. maiorem tribuunt auctoritatem, quam temerariis saepe primorum editorum coniecturis, certe iis, quae non omnino satisfaciant, Broterium secuti lect. Vat. receperunt quidem, sed non explicarunt. Walch Rhenani coniecturam praetulit; audiamus eum. „Brotier und Oberlin, inquit, haben es (sc. *contra ruere*) im Text. Kümmerte beyde nicht die Concinnität der Glieder *fortissimum animal* — *pavida et inertia* — *robore caedi* — *sono pelli*, nicht das ganz in Tacitus' Weise gewählte Zeugma pelluntur, wie die Auflösung eben zeigte." Utique, sive intelligentia ducti, sive sensu quodam recti non solum hoc curarunt, sed etiam illud, ne absurda evaderet sententia. Namque non solum oppositum sit oportet primum periodi membrum *Quomodo* — *ruere* alteri *pavidae* — *pelluntur*, ut Walch recte statuit, sed etiam respondeat tertio *sic acerrimi* — *ceciderunt*, ut alterum *pavidae* — *pelluntur* quarto *reliquus est num.*, quod Walchio non erat curae. Tertium, quod vocant, comparationis prorsus nihil aliud esse potest, quam *resistere* et *fugere.* Quomodo fortia animalia resistunt, pavida fugiunt, sic acerrimi Britannorum restiterunt, ignavi fugerunt. Quam simpli-

cem cogitationem Tac. suo et omnium antiquorum scriptorum more variavit, in posterioribus membris, quae rerum narrationi, hostium descriptioni aptaturus erat, effectum pro causa posuit; verba *iam pridem ceciderunt* notionem hic continent *resistendi*, ut verba *reliquus est numerus etc. fugiendi*; sive pro *restiterunt* dixit *ceciderunt*, pro *fugerunt*, *reliquus est*; quod posterius Tac. ipse sequentibus verbis *quos quod — — restiterunt* distinctius exponit. *Cecidisse* effectus erat *resistendi*, ut *reliquum esse fugendi.* Modus, quo fortia animalia caeduntur, pavida pelluntur, nihil ad nos attinet, omnino ne utrum caedantur quidem, nec ne. Secundum Walchium modus caedendi et pellendi est tertium comparationis; Tac. igitur sententia eius dixit: ut fortissimum quodque animal r o b o r e caeditur, pavidum s o n o pellitur, sic acerrimi Britannorum iam pridem ceciderunt, reliquus est numerus ignavorum et metuentium. Quid isthoc sibi vult? Quo modo ceciderunt acerrimi Brit.? quo modo reliqui sunt ignavi? nonne etiam in re comparata erat exprimendum tertium comparationis? num eo, quod forte animal robore caeditur, pavidum sono pellitur, magis perspicuum fit, cur acerrimi Brit. iam pridem ceciderint, ignavi adhuc reliqui sint? Cuius rei prorsus nulla alia causa excogitari potest, quam quod illi restiterunt, hi fugerunt. Ex eo vero quod vi tantum caeditur forte animal, non sequitur id statim resistere; fieri potest, ut initio fugiat, et tum demum, quum nullum iam refugium ei sit, resistat et magna vi se defendat.

Deinde non video, qua ratione ex verbo *pelluntur* eliciatur *caeduntur*; quibus verbis, quae hic significant *fugari* et *occidi*, prorsus diversae insunt notiones; non satis est dixisse: figura ζεῦγμα est, similia exempla sunt afferenda; non licet primum quodque verbum omittere, et ex primo quoque sequente elicere. Walch eo procedit, ut etiam transferat: So wie von Wald — und Schlucht — Durchwandelnden das muthigste Thier immer mit Armes Macht, furchtsame und feige vom Schall des Zuges verscheucht werden etc., et contendit a nobis, ut ex verbo verscheucht werden ad prius periodi membrum suppleamus todtgeschlagen werden.

At, quaeris, num Walch non optimo iure sententiae Oberlini, qui ad infinitivum *ruere* supplet *solet*, haec opposuit: es war wenigstens grammatische Pflicht für die unbegreifliche Ellipse eines *solet* (wie Oberlin sagt) beim Infinitiv, besser für die Fügung eines *Quomodo* mit einem Infinitiv in d i e s e r Verbindung nur e i n Beispiel zu suchen. Wie *Quomodo* bey verschränkter Rede beym Infinitiv stehen könne, und im Fragesatz, begreift sich wohl: wie aber in direkter Rede und in Sätzen durch Particulae copulativae, wie *ut*, *sicut*, *quomodo*, *quemadmodum*, — *i t a* verbunden, wo gäbe es dafür einen denkbaren Fall? Rectissime quidem in his Walch; sed — audi reverenter mysterium absconditum:

r u e r e non est infinit., est tert. pers. plur. perf.!!

En habes facillimam huius verbi defensionem, quod attinet ad formam, numerum, tempus, et coniunctione cum praesente.

Terminatio in *ere* Tac. longe praefert alteri in *erunt*, etiam in iis verbis, in quibus eaedem litterae sunt huic formae, quae infinitivo, ut c. 36. *Interim equitum turmae fugere, convinarii — miscuere.* Sall. Jug. 69. *Vagenses ubi animadvertere.* 98. *qui non fugere.* Quin etiam in iis, in quibus syllaba penultima etiam in infinitivo producitur; Agr. c. 37. *ubi compositos firmis ordinibus sequi rursus videre;* Sall. Cat. 13. *nisi iis, qui videre, nemini credibilia sunt.* (Ramsh. gr. lat. ed. II. §. 62, 4, a.)

De numero plur. c. pron. *quisque* coniuncto vid. Zumpt. gr. lat. §. 367. C. 3. *promptissimus quisque — interciderunt.* Hist. IV, 25. *optimus quisque iussis paruere.*

Tempus praeteritum significatione aoristi consuetudinem designare, notissimum est. (Herm. de emend. rat. gr. gr. p. 188, Ramsh. §. 164, 5, b.) C. 9. *aliquando et elegit.* vid. Walch. ad h. l. Hist. I, 30. *nemo exercuit.* Ann. III, 66. *festinatio multos etiam bonos pessum dedit.* Germ. 6. *multique — finierunt.* 24. *exercitatio artem paravit,* quod etiam cod. Hummel. habet, et quod Hess in Comm. I recte iudicat praeferendum esse lectioni *parat.* Praesertim in comparationibus usi sunt hoc tempore pro praes. scriptores et graeci et latini. Thiersch. gr. gr. §. 291, 3. Virg. Aen. IX, 437. XI, 810. seqq. XII, 588. al.

Cur Tac. in primo membro praeter. temp. posuerit, in secundo praesens? ut illud tertio, hoc quarto responderet.

contra ruerunt	*pelluntur*
ceciderunt	*reliquus est.*

Curt. III, 19. *terribelem antea regem cautum pro temerario factum, delituisse inter angustias saltus ritu ignobilium ferarum, quae strepitu praetereuntium audito, silvarum latebris se occuluerint* (ut recte Zumpt, alii *occuluerunt*). Jam ex editorum adnotationibus notum est, quam multa apud Tacitum Virgilium sapiant, et licebit mihi, etiamsi taceam de poetica Taciti oratione, ad nostrum locum illustrandum Virgilianos afferre.

Aen. 144. Non tam praecipites biiugo certamine campum
Conripuere ruuntque effusi carcere currus;
Nec sic inmissis aurigae undantia lora
Concussere iugis pronique in verbera pendent.

Similes sunt II, 631. X, 707. 804. Georg. III, 197., in quibus omnibus perf. et praes. coniuncta vides.

Contra ruere c. dat. construitur, ut *contra dicere, contra ponere, contra ire;* Ann, XI, 10. *et huic contra itum;* nisi obiectum inter praepositionem et verbum, vel praepositio post verbum posita est.

Jam veniendum ad id, cuius causa haec praemissa sunt. Vos igitur, Princeps Serenissime, huius urbis Proceres, Viri illustrissimi, summe reverendi, honoratissimi, parentes discipulorum, quotquot denique bonis litteris favetis, ut solemnia, quae supra indixi, frequentia vestra honorifica splendidiora reddatis, omni, qua par est, observantia, verecundia, pietate etiam atque etiam rogamus atque oramus.

Lectiones variantes codicis Hummeliani cum editione Teuberti (Lips. Vogel, 1826) collati. Hunc codicem nunc hereditate possidet Christoph. Theod. Adam Dorfmueller, Pastor et scholae lat Rector Weidenensis, qui liberaliter humaniterque eum mecum communicavit.

1. Molli et clem.) m. *ac* cl. effusus) *effusis.* erumpit) *erumpat.* 2. nisi si patria) n. *sibi* p. Tuisconem) sic in margine ab ead. manu, in textu *vistohem.* Mannum) sic in marg., in textu *Marnum.* conditoresquae) *conditoremque.* Hermiones) *Herminones.* Deo) sic in m. ab ead. man., in t. *de eo.* Vandalos) in m. *Vandileos.* nunc Germani) *tunc* G. mox a se) mox *et* a se. 3. hodie incolitur) *hodieque incolatur. nominatumque* non inclusum et lacuna post h. voc. repertam) lineola super *a* a manu recens. German. Rhaetiaeque) inverso ord. 4. caerulei) *ceruli.* 5. propitii) *propitiine* 6. plura singuli) *pluraque* s. aut galea) a. *galee.* coniuncto) *cuncto.* quod primo num.) q. *primum* n. inire) *adire*, super *ad* ead. man. scriptum *in.* 7. si conspicui) *ac* consp. nec verberare) *ne* v. Effigiesque et signa) E. *ac* s. non casus) bis scriptum. 10. temere ac fortuitu) *tenent* ac *fortuito.* sed apud proc.) *sed* omittit. quemque) in m. *quoque.* 11. apud principes) a. *principem.* 12. insuper crate) ins. *et* cr. illuc respicit) scriptum erat *illud*, sed ab ead. m. mutatum in *illuc.* 13. rubor) in m. *robur.* principum) in m. *principium.* hae vires) post *vires* punctum, post *circumdari* comma. 14. infame in omnes) sic ab ead. m. correctum, antea erat *infamem omn.* superstitem principi) *superstite principe*, lineola sup. *e* in voc. *superst.* inducta. clarescant) *clarescunt.* Exigunt en. principis) E. e. *principes.* convictus) om. vocare hostes) v. *hostem.* 15. non modo a sing.) *a* om. 17 negligenter) *negligentius*, sed ab ead. m. in — *ter* mutatum. 18. ambiuntur) *ambiunt.* sic pereundum) s. *pariend.* 19 septae) *septa.* 20. ii et animum) *et inanimum.* quo maior) *tanto* m. gratiosior) *gratior.* 21. abeunti) *abeunt*, a rec. m. *i* adscript. 22. ioci) *loci.* 24. saltu) *se*, quod inductum est et in m. ab ead. m. script. *saltu.* parat) *paravit.* spectantium) *expectantium.* prava) *parva*, in m. *al. prava.* 25 impune) impune *est.* regnantur) *regnant.* 26. ab univ. vicis) a. u. *vice.* praestant) *praebent.* et superest ag.) sup. *et* ab ead. m. script. *ut.* laborare) *labore.* separent) *seperent*, in m. ab ead. m. *al. secent.* et hortos) *ut* h. 27. honestum est) *est* om. 28 diversas) *divisus.* Boiemi) *Boiihemi*, in m. *Bohemi.* significatque) *signatque.* ab Osis) *ab ois germanorum natione.* an Osi) *Osi* delet., in m. *boi.* Nervii) *Neruli.* affectationem) *affectionem.* et similitudine) *a* sim. Ne Ubii) *Nubii.* 29. Batavi) sic in m. ab ead. m., in t. *bathi.* Mattiacorum) *Mactiac.*, sup. *c.* script. *r.* mente animoque nobiscum) *mente: animo nobisc.*, in m. *manente.* numeramus) *numeraverim.* Decumates) *thecumates.* 30. Hercynio) *herquin.* maior animi vigor) m. *animis* v. ratione) *romanae.* quem super) *quam* s., in m. ab ead. m. *quem.* ferramentis) *fermamentis*, ab ead. m. sup. *m* scr. *r.* propior) *proprior.* 31. tam durae) t. *dura*, super *a* scr. *e.* 32. peditum laus) p. laus *est.* 33. oblectationi) *oblectatione.* in urgentibus) in *gentibus.* 34. Dulgibini et Chasuari) *Dulcubini et Chasuarii.* Frisii) *Frisi.* consensimus) *consuevimus.* 35. sinuetur) in m. *al. sinatur.* sed implent) sed *et* impl. 36. nomina sup.) *nomine* sup. Tacti) *Tracti.* 37. ambitu) *ambitum.* fidem) *sedem*, in m. *al. fidem.* amisso et ipso Pacoro) am. et *ipse* P. Cn. quoque) *Marcoque.* consulares) *consularis.* legionum) sup. *num* scr. *nibus*, ab ead. m. ut videtur. pulsi, inde) pulsi *nam.* 38. rarum) *eorum*, in m. ab ead. m. *rarum.* ligant) *religant.* ornatiorem habent) *ornatorem habet.* et terrorem) *ut* t. sup. *u* ab ead m. *e.* 39 se nobilissimosque) *sen nobilissimos.* antiquitatis religione) supersrcipt. antiquita*te* neligio*nis.* omnes eiusdem) *oīs* eiusd., in m. *noīs.* prolapsus) prolapsus *est.* habitant) *habitantur.* corpore) *tempore*, in m. ab ead. m. *al. corpore, numero.* 40. quod plurimis) *quod* om. Nuithones) *Vuithones.* vectamque) *victamque*, sup. *i* scr. *e.* bubus) *duobus bobus*, prius induct. quaecunque) sic in m. ab ead. m., in t. *que cum.* lacus) *lucus*, a rec. m. *u* in *a* mutatum. 41. Suevorum) *verborum.* propior) *prior.* 42 ipsa etiam) inverso ord. manserunt) *mansere.* 43. Gothini) *Gotini.* Burii) *Buri*, in m. *Siburi.* Quadorumque) om., pro quo scriptum erat *retro*, sed *inductum.* Manimos) *lanimos.* Elysios) *helisios*, superscr. *heliosuas*, in m. *haliosuae.* Arii) *alii.* truces insitae feritati) *trucis* ins. *feritatis.* regnantur) *regnant.* 44. exceptionibus) superscr. *exempt.* 45. ortus edurat) *ortu se durat.* Sonum insuper audiri) *et* son. ins. *emergentis* aud. formas Deor.) *formasque* D. Nec, quae natura) *neque* nat. arborum esse int.) *arboris* int. volucria) *volucra.* mare labuntur) inverso ord. resinamque) super *que* scr. *ve.* differunt) *differuntur.* 46. Peucinorum) *Peucuror.* in m. *al. Peucini.* quos quidam) q. *quidem.* mixtis) *mixtos.* ferarum imbriumque) *ferarumque imbrium.*